
Panisiu Stanislai Venceslai: Crux purpurea in virtute et sapientia laureata.

CRUX PURPUREA
in Virtute & Sapientia,
ILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDI DOMINI,
D. M. JACOBI RADLINSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctoris, in S. Ordine Canonicorum Regularium, Custodum Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri CHRISTI Dñi, Actualis ejusdem Philosophiæ Professoris, S. Th: Licentiati, supra dicti Ordinis Canonici Regularis,
L A U R E A T A.
Et dùm idem
ILLVSTRIS & ADMODVM REVERENDVS D.
in Alma Universitate Cracoviensi,
PER
PERILLVSTREM & REVERENDISSIMVM DOMINVM,
D. M. BASILIUM PLASCZEWSKI,
S. Theol. Doct. & Professorem, Collegij Majoris Seniorē Patrem, Eccles. Cathedralis Cracov. Canonicum, Collegiatæ SS. Omniū Præpositum, Parochialis in Naśiechowice Curatum, Ordinariū, Librorū per Diœcesim Cracov: Censorem, Contubernij Geloniani Provisorem, S. R. M. Secretarium.
In florentißima Nobilißimorum Hospitum Corona,
In Lectorio CC. DD. Theologorum,
Sacræ Theologiæ DOCTOR, ritu solenni crearetur,
officiosâ pennâ
A
M. STANISLAO VENCESLAO PANISIO,
in Alma Vniversitate Cracov. Philos. Doct. & Professore, Collega Minore,
A D O R A T A.
Anno quo æterna Sapientia Laureâ humanâ effloruit 1718. Die 20. Mensis Octobris.

86.

In Arma S. Ordinis Canonicorum Regularium Sſmi Sepulchri Hieroſolymitani CHRISTI DOMINI, Conventûs Miechovienſis.



Arma Sacri, Chriſti Cuſtodum, Sancta, Sepulchri,
Crux eſt, purpureo ſangvine tota rubens:
Qvodve Caput certat ſub ſigno fortiùs iſto,
Fas ut purpureus præmiet illud honos.

CRUX
LAUREATA,
Triumphale Crucis Chriſti labarum,

Divini Sangvinis purpurâ tinctum,
ut omnem Cælis terrisq; haberet honorem,
laureatum eſſe voluit.
Arbor hæc eſt Scientiæ Laureatæ,
Laureæ itaq; eſt capaciſſima.
Certavit Crux pro Doctorali Lauru,
cùm Verbum Divinum in ſe portavit.
Inanimatam nemo poteſt dicere Crucem,
hanc æterna animavit Sapientia.
Spiritum ſuum illi inſpiravit, cùm in ea exſpiravit.
Spiraculum Sapientiæ, & vitæ dici debet,
in qua Sapientia & Vita æterna pependit.
Chriſtus in ea Erebum vicit,
hinc eam victrici Lauru coronavit.
Crux erat Cathedra Chriſti docentis & morientis,
laureatus mundi Magiſter,
laureatam eſſe voluit, quam incoluit.
Reges Coronas, Principes Mitras, Præſules Tyaras,
Sacræ Crucis Arbori appendunt;
cur virides Laurus Doctores non appendant?
ut Laureatam efficiant?

Meruit ex omni fonte coronari hæc Arbor,
quæ fontem omnis felicitatis germinavit.
Omnis de Crucis Divinæ Arbore, prominet honos.
Testare Polona Hierosolyma,
Sacer Canonicorum Regularium, Custodum SSmi
Hierosolymitani Sepulchri in Convētu Miechov:
Ordo amplissime
*Crux Tua gemina Purpurea, quam in pio pectore gestas,
cuncta honorum insignia tenet.*
Crucem Viri Tui ingenio & pietate graves,
& monilibus Stemmatum Aureis, & Laureis exornavere.
Quantum rubenti, Ordinis Sacri hujus, Cruci
addidit decus?
STANISLAUS STOICONIS,
Decretorum Doctor, in Conventu Miechoviensi Professus;
Duodecimus Ordine Miechoviæ Præpositus,
ast meritò meritis primus.
Generale Virtutis & Sapientiæ Compendium,
dignitatem Generalatûs Præpositis Successoribus relinquens.
Cælorum beneficiò, Sacræ huic Familiæ incorporatus,
eidem multa Beneficia (*S. HEDVIGIS in ponte Regio ad Cracoviam, Prævorscensis Conventûs, & Wrocirisensis Parochiæ*) incorporavit.
Gentilitiam Domûs Suæ Sagittam,
benè purpureæ Cruci infixit
LEONARDUS SŁONCZEWSKI,
in Archicænobio Miechoviensi PROFESSUS,
inter Custodes Sepulchri Domini Argus oculatissimus.
Dignus non una Corona;
non uno in Cathedra Cracoviensi lustro laborans,
Prædicator egregius Ordinarius.
Infulâ Camenecensi exornatus,
Majoribus dignus Tyaris, ob magna merita,
Non ipso tantùm nomine gratias spiravit.

JO-

JOANNES DZIANOTTY,
in Celeberrima Canonica Miechoviensi PROFESSUS,
Divæ Themidis oraculum,
PROTONOTARIUS APOSTOLICUS,
non unum in Ecclesia dignitatis gradum conscendit,
non uno Virtutis contentus genere.
Ex Præposito & Canonico Metropolitano Gnesnẽsi,
Fessensis Episcopus,
& Suffraganeus Kijoviensis factus.
Quale ad Infulas debeat esse Iter, exemplo docuit.
Gentilitijs Cornibus, quasi vocalibus tubis,
fama nomen tuum canet,
SIMON THURSKI,
Nobilissima Rogalorum Stirpe oriunde,
in Archicænobio Miechoviensi Professe.
Tu Custos Thesauri Regij in Arce Cracoviensi,
Regibus & Regno fidelitatem,
ad S. HEDVIGIM Præpositus, mox & Generalis creatus,
DEO & Ordini Tuo gloriam servasti.
Quot Officia gessisti, tot Virtutis Tuæ vestigia reliquisti.
Quô laudis celebrandus es cothurno!
Celsissime olim & Illustrissime Domine,
D. MATTHIA ŁUBIENSKI,
Archiepiscope Gnesnensis, Regni Poloniæ Primas
& Prime PRINCEPS.
Sacræ castissima gemma Minervæ,
de hoc Conventûs Miechoviensis gazophylacio,
in publicam honoris prodijsti lucem.
Phænix Sarmatici Senatûs,
ex hoc fragranti virtutum odore, S. Religionis evolasti nidulo.
Caput Tuum,
non acuto tantùm gladio, sed & acumine mentis armatum,
post emissa Solennia Professionis in Conventu Miechoviensi vota.

 Li-

Liliata Columna
NICOLAUS OBORSKI,
Episcopus Laodicensis, Suffraganeus Cracoviensis,
primâ Præposituræ Miechoviensis vittâ coronavit,
ut altioribus Tyaris viam ad Te adaperiret.
Felix Infula Præposituræ Miechoviensis,
quæ in emeritam frontem,
tot decora, quia tot Tyaras, Chelmensem,
Posnaniensem, tandem Primatialem Gnesnensem, introduxit.
Petra Ecclesiæ, Religionis gemma,
Illustrissimus & Reverendissimus Dominus,
D. PETRUS *à Pilca* KORYCINSKI,
ut trophæa victrici Crucis S. erigeret arbori,
Gentilitiam in obsequium DEO consecravit Asciam.
Priùs in eodem Amplissimo Conventu Professus,
antequam Generalis sui Ordinis PRÆPOSITVS.
Quid fecerit? sæcula loquentur.
Privilegiorum Ordinis & Conventûs per eum Romæ
impetrata Confirmatio,
ab Innocentio XI. Summo Pontifice,
Romanum pro eo egit Tullium.
Hortensius hic ore, etiam munus Cyllenij obijt.
Ad Serenissimum Regem Poloniarum
MICHAELEM KORYBUTH,
Secundus & facundus Legatus.
Satis gratus Regiæ Majestati, quia & manibus disertus.
A summa in terris Potestate:
Regi gladium benedictum, Reginæ Rosam auream offerens,
Ipse gladius pro Ecclesia, nam Jurium ejus Defensor.
Flos Regni purpureus,
Purpurâ à Summo Pontifice donatus,
quot

quot literas ſcripſit, tot meruit elogia,
SAMUEL NAKIELSKI,
S. Theologiæ Doctor, ad S. HEDVIGIM Præpoſitus.
Eruditâ ſuâ pennâ
etiam de cineribus ſuis, ut Phænix in altum honoris evolat
eruditus Ordinis ſui Hiſtoriographus.
Frontem eruditam,
quam omnibus literis, in Jageloneo Athæneo excoluit,
& laureis exornavit.
à Sapientia Romana
Suprema in S. Theologia Lauru coronatam recepit.
Hîc jam hæret penna,
per ſexcenta Annorum ſpatia
Viros celeberrimi Conventûs Miechovienſis, nobilitate generis graves,
Virtute & Sapientiâ illuſtres,
in hanc arctam colligere pagellam intendens.
Secula futura nunquam ſufficienter deprædicabunt
Canonicos in Conventu Miechovienſi,
quos tot ſecula in Ornamentum Ordinis Sacri genuére.
Religionem hanc Sacram in Cruce,
& Crucem in Religione venerari religio ipſa jubet.
Primo digna cultu, Auguſta D. AVGVSTINI Propago,
ab ipſo Apoſtolo Chriſti S. JACOBO minore,
Hieroſolymitano Antiſtite,
primam ſuam Originem trahens.
Canonicorum inſignita nomine,
Canonum Eccleſiaſticorum ſemper obſervantiſſima.
Purpuream; illamq; geminatam gerit in pectore Crucem,
qualem antiquiſſimè Hieroſolymis invenit, talem viſendam præſentat.
Qualis theſaurus in corde!
cùm tam pretioſum ſignaculum.
Renuant alij lacertos gravi ſupponere Cruci;
Cuſtodes hi etiam cor ipſi ſupponunt.
Fugite partes ab illis adverſæ,

Ecce Crucem Domini ſemper portant.
Ordo hic antiquiſſimus
Cuſtodũ SSmi Sepulchri Chriſti Hieroſolymitani titulô decoratur.
Nomen nunc retinet; cùm Officium Odryſia extinxerit Luna.
Memor ſui tamen muneris, in ipſo nomine ſervato,
licèt exequi munus ſit arduum.
Cùm mundus unam ſervabit fidem,
Cuſtodes hi Officium ſervabunt ſuum.
Corde & animo Officium implent, quod opere nunc implere nequeunt.
Diſcat Orbis!
in ipſo Ortu, Religionis hujus meridiem;
nam immenſam amplitudinem.
In ipſis primordijs Ordinis hujus,
bis mille & Octuaginta Octo Religioſa clauſtra,
in Fidei & Crucis S. defenſionem bene munita caſtra
numerabantur.
In parvo tunc Chriſtianorum numero,
quantus ad Bellum pro Domo DEI exercitus!
Exara penna vel in ipſo Sepulchrali Chriſti lapide!
Religionis iſtius Majeſtatem.
Antequam bellua Othomanica Sacram occupaverat terram,
de cætu hoc pientiſſimo,
Hieroſolymitani continuò eligebantur PATRIARCHÆ.
Quàm ampliſſimi!
ut ex pollice gigantem, vel ex umbra magnitudinem Coloſsi metiris,
ita ex ſubjectis Patriarchali dignitati Eccleſijs,
metire amplitudinem honoris Patriarchalis,
& Canonicorum SSmi Sepulchri, hac dignitate illuſtrium,
& habentium jus eligendi Patriarchas Hieroſolymitanos.
Quatuor Metropolitanæ, id eſt Archiepiſcopales;
Nonaginta Epiſcopales dignitates,
illorum ſemper regimini ſuberant.
Vt verò ſecuriores eſſent Tyaræ Pontificiæ
Cuſtodibus Sepulchri Chriſti cuſtodiendæ offerebantur.
Hieroſolymis Fide Orthodoxa florentibus,
Quis Patriarcha? Archiepiſcopus, Epiſcopus, primæ Eccleſiæ Prælatus,
ſi

ſi non ſacer de cætu Cuſtodum Canonicus.
Numera priùs in Cælo ſtellas ſi potes,
& Honorios, nimirùm Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliosq;
Prælatos iſtius Religionis Sacræ numerabis.
Placeat majora revolvere.
Vniverſalem Eccleſiam Chriſti, hi rexêre Canonici
in Urbano IV. Pontifice Maximo.
Ille
Religionis iſtius primo Profeſſus & Canonicus,
mox Hieroſolymitanus Patriarcha, demum Chriſti Eccleſiæ Caput,
& Divi PETRI Succeſſor.
Crucem in pectore Religionis iſtius ſitam,
etiam coronati venerabantur Reges.
Mittentes Coronas ſuas adorabant viventem in ſecula ſeculorum,
Baldvinus III. Rex Hieroſolymitanus,
aureum de capite ſuo depoſuit diadema,
Ordinis hujus Sacri Profeſſus factus.
Crucem, quam victricibus tuebatur armis,
Rubeam, vel ſuo in bellis tinctam cruore,
in corde devoto; ad ultimam geſſit lineam vitæ.
Cæleſtinus II. Pontifex Maximus,
Ordinem hunc antiquis privilegijs confirmatis, novis inſtitutis,
per totam Hieroſolymam in Fundationibus, auxit, propagavit.
Palæſtina, Neapolis, Sicilia, & cuncta Catholica Regna,
ut fidem illibatam DEO ſervarent,
Epiſcopatûs & Eccleſiarum regimen, penes hos Cuſtodes, ſervabāt.
Nobiliſſimus & Pientiſſimus de gente Polona
J A X A,
non tam Gentilitij ſui Gryphis alis, quàm ignei percitus pennis amoris,
Solymeos reviſit Colles,
Majeſtatem, pietatem, Vigilantiam hujus Sacræ ſtupet Familiæ.
Patrios redux ut bearet fines,
MARTINVM Gallum Inſtituti iſtius Canonicum,
 Le-

Lechico inducit Orbi.
Hæreditaria illius Miechovia,
ut non Cerere tantùm, sed & Sanctis sit opulenta Viris,
Caput Religionis in MARTINO Custode primo recepit.
Felix plantator, felix & plantatio.
Cecidit semen bonum in fertilem terram!
ex quo, in Orbem totum tam opulenta in Sanctis Viris messis!
Quidquid Virorum Religionis istius Sacræ,
Gallia, Hispania, Anglia, Dacia, Apulia, Germania,
Bohemia & Hungaria habent,
totum Archicænobio Miechoviensi, fonti, capiti & cardini debēt.
Sæva barbarorum manus,
Hierosolymis Captis, & Fidem Orthodoxam, & primum
Ordinis hujus fontem extinxit.
Potens dextera DEI!
Erydanum quendam; nam Viris & Doctis & Sanctis scatentem,
Conventum Miechoviæ aperuit.
In novam Hierosolymam transijt,
Polona Miechovia!
Nam in Caput sui Ordinis antiquissimi mutata est.
Prodigium stupendum!
Meridies transijt in Septemtrionem,
Fons Ordinis in Meridie Fundati? in Septemtrione viget ad stuporem.
Quod vigeat? extra Paradoxum est.
Sub vexillo Crucis Divinæ militat iste Ordo,
à Cælo Coronam, à Pallade Laurum meretur,
satìs dignam, quia Summam.
Illorum, quotquot fastis revolvere fas est,
Nemo Tyaram, nemo Purpuram accepit,
priùsquam Lauream Doctoralem.
Etiam intra hujus Antiquissimi Conventûs Miechoviensis
penates, ab immemorabili tempore,
vel laureati semper, vel laureâ digni reperiebantur Doctores.
Terunt & nunc vestigia Patrum,
Optimi Virtutis & Sapientiæ Hæredes.

FRAN-

FRANCISCUS RUBISZEWSKI,
Conventûs Wagroviensis munificentiâ Lubienianâ erecti, Præpositus & Custos Generalis Miechoviensis.
Ne feriat Domum hanc Sacram novercantis fulmen fortunæ,
Laureatus hic, in Academo Cracoviensi, Custos præcavet.
Religiosæ Idea vitæ
FRANCISCUS CHODOWICZ,
S. Th: Doctor Præpositus Conventûs Przeworscensis, multoties eximius PROVINCIALIS.
Vt commissus ei Sacræ militiæ populus,
in via Mandatorum DEI rectè ambularet,
sapienti exemplo, & exemplari Sapientia, semper ei præivit.
Dignus ut ab omnibus colatur,
Divini Cultor Maximus Honoris.
Honorarij dignitatum eum ornent Fasces,
qui Sponsam, Przeworscensem Ecclesiam,
Sacello Sepulchri SSmi Domini, Altaribus, Sacrâ ornavit Cathedrâ,
Conventûs illius Fundator alter dicendus.
Purpureô Virtutis progreditur passu,
Nobilissima Magni Sangvinis portio,
Perillustris & Admodùm Reverendus Dominus,
D. STANISLAUS STĘPKOWSKI,
Ordinis Canonicorum Regularium SSmi Sepulchri
Hierosolymitani Conventûs Miechoviensis aliquoties
Generalis Custos, nunc PROVINCIALIS.
Præpositus Bythomiensis, Curatus Charzoviensis.
Illius,
Totum vulgata per Orbem stant documenta Domûs.
Gentilitias ejus Tubas,
Fama inflare non desinet,
ut toto semper in Orbe canatur.
Custos Miechoviensis,
pro DEI Cultu & Religionis Sacræ emolumento;
Argum centoculum egit.

Bythomienſis & Charzovienſis Paſtor,
quas vigiles non impendit curas!
ut Ovili Chriſti & præſit & proſit.
Hic
Tuas egregias dotes
Illuſtris & Admodùm Reverende Domine NEODOCTOR,
vidit, æſtimavit, adamavit.
Adamatâ Tuâ excellentis igenij maturitate,
non alibi, quàm in corde ſuo,
nidum Tibi conceſſit; & quantum valeas?
ſua liberalitate, Orbi monſtravit.
PETRUM BOROWICZ,
S. Th: Doctorem, Præpoſitum nunc ad S. HEDVIGIM,
Petram eſſe, ſuper quam ædificata eſt Domus DEI,
etiam invidiâ teſte, non eſt qui negaverit.
Si Metempſichoſis admitteretur,
Spiritum in eo crederent permanere,
Perilluſtris olim & Admodùm Reverendi Domini,
M. ADALBERTI BOROWICZ,
in Alma Univerſitate Crac: S. Th: Doctoris & Profeſſoris,
Eccleſiæ Collegiatæ S. FLORIANI *Præpoſiti.*
Iſtius Doctiſſimi Prædeceſſoris ut vivam in ſe adumbraret effigiem,
Virtute & Doctrinâ allaboravit.
Ore facundus, calamo diſertior,
hoc geſta Regum & Pontificum deſcripſit.
Per terna luſtra Cuſtos Generalis, opere illuſtris.
In viſitanda Provincia,
indefeſſus Atlas, quia laborioſiſſimus multoties PROVINCIALIS.
Ex utroq; Cæſar nuncupari poteſt,
THOMAS PODRĘBSKI,
S. Th: Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Præpoſitus Lezayſcenſis;
ſubtile illius ingenium
& S. Scripturæ Arcana & Divæ Themidos ſecreta ſcrutando.
Vi-

Virum in quadro positum ostendit.
Salutarem in Nomine suo pollicetur medelam
M. RAPHAEL GRZYBOWSKI,
utraq; Philosophiæ Lauru in Vniversitate Cracoviensi
redimitus Professor.
Fontem, quem hausit, coronavit,
Almam Vniversitatem Crac: laboribus & meritis
amplissimis, condecoravit.
Vidit eum Stoa Academica,
multis Annis Actu docentem Doctorem,
Publicæ Cathedræ
Nodosam Aristotelis Doctrinam enodantem, audivêre.
Tu meta calami es,
Perillustris & Admodùm Reverende Domine,
D. M. JACOBE
RADLINSKI,
S. Theologiæ NEODOCTOR Dignissime,
in Te Crucem laureatam penna adorat.
Qui
ut Te non degenerem Filium in S. Religione monstrares,
Patrum vestigia secutus,
Caput laureæ Doctorali submittis,
ut altiùs assurgas.
Non datur in literaria Republica altior honor,
quia non datur altior Scientia.
Magna Tua merita,
magnam Tibi hanc paravêre dignitatem.
In honoribus conferendis Justitia distributiva servari debet.
Non deformat frons Tua Laurum Theologicam,
virorem & vigorem ei spondet,

 gem-

gemmeus sudor, quô frontem irrigasti.
In vita præcipuè curans,
ut laureis dignus esses Doctoralibus,
Diademate coronaris Theologico.
Tenera juventa Tua, pietate & doctrinâ exculta,
ab omnibus justam laudem capessit.
Difficile est non laudare, quod ex natura laudem meretur.
Ver ætatis Tuæ autumno mixtum est,
nam & floridi anni, maturitatem morum præseferũt.
In illa vitæ humanæ parte,
quæ prava sæpe amat consortia,
Tuum fuit cum Apolline & Minerva consortium.
In Archy-Gymnasio, & Generali Regni Schola,
Alma Universitate Cracoviensi,
capacissimam Tuam mentem literis excoluisti.
Sciens perbelle;
Sicut dulciùs in ipso fonte bibuntur aquæ, ita jucundiùs hauriuntur Scientiæ, unde in rivulos processere.
Candorem sinceritatis Academicæ tenes,
Albo Vniversitatis insertus.
De Cracia Parnassi rupe,
prorumpentibus Hyppocreneis lotus es undis,
ut mundus in mundo immundo appareres.
De Tullianis fontibus hausisti Cracoviæ eloquentiã,
ut Romanæ fidei propagator, in omni exedra,
Romanus dicereris Tullius.
Vanas mundi spernens generosa mente illecebras,
Christi imitator esse voluisti, quia Crucis cum Christo bajulator.
Quæ potest esse major dignitas!
etiam Reges deposito paludamento Cruci lacertos supposuère;
Majorem rati honorem,
quàm si Purpuras portarent.

Verus

8

Verus Christi imitator,
Divinum illud executus es præceptum,
Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat Crucem.
Quantùm amaveris Redemptionis signum,
externo voluisti probare in pectore signo.
Sacræ militiæ sub vexillo Crucis adscriptus,
indomitum in Te exarasti Alcidam,
Lernea vitiorum domantem capita.
Verus Regularis Canonicus,
omnia ad mentem Regulæ & Sacrorum Canonum exequens.
Præmisliæ Philosophiam audivisti,
naturalem Philosophum, Præmyslum Principem
imitatus.
Ille ex arboribus, armatos homines fecit,
Tu etiam truncos animas,
dùm Philosophus acutissimus alios præceptis instruis.
Præmyslus adversa castra, miro prostravit artificio.
Tu animorum hostem toties artificiosè vincis,
quoties nodosa Philosophiæ argumenta, egregius illius Cursor,
limatissima mente resolvis.
Nunquam de Stagiritica arena inglorius recedis,
quia nunquam sine corona & laude eruditorum.
A minori ad majus argumentari bene gnarus,
cùm desijsti esse Philosophus;
cæpisti esse Theosophus.
In Archicænobio Miechoviensi
specimen publicum Studij Theologici exhibuisti,
publicus Theologicæ Veritatis Defensor.
In hoc domicilio, novas Athenas & Sapientiam
Romanam esse ostendisti.

Ergò,

Crux in Te laureata,
Te ad alta honorum evehat.
Fulmen adversantis fortunæ ne metuas,
JACOBUS es! nempè filius tonitrui.
Sub lauru virenti securus vivas.
Crucis Sanctæ Insigni cruento,
infaustos prosterne casus.
Ad decus Ordinis Sacri.
Superi in Pylios servent Annos
Hærentem Capiti multa cum laude Coronam.

C R A C O V I Æ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodvorscianarum Ordinarij Chalcographi.